

*Coram R. P. Gregorio Erlebach, Ponente.
Bratislavién-Tyrnavien. Nullitatis Matrimonii
Sent. 67/02*

Anuario Argentino de Derecho Canónico Vol. XVII, 2011

Este documento está disponible en la Biblioteca Digital de la Universidad Católica Argentina, repositorio institucional desarrollado por la Biblioteca Central "San Benito Abad". Su objetivo es difundir y preservar la producción intelectual de la institución.

La Biblioteca posee la autorización del autor para su divulgación en línea.

Cómo citar el documento:

Coram R. P. Gregorio Erlebach, Ponente. Bratislavién-Tyrnavien. Nullitatis matrimonii : sent. 67/02 [en línea] (2011), *Anuario Argentino de Derecho Canónico*, 17. Disponible en:
<http://bibliotecadigital.uca.edu.ar/repositorio/revistas/coram-erlebach-bratislavién-tyrnavien.pdf>

(Se recomienda indicar fecha de consulta al final de la cita. Ej: [Fecha de consulta: 19 de agosto de 2010]).

CORAM R. P. D. Gregorio ERLEBACH, PONENTE
BRATISLAVIEN-TYRNAVIEN.
NULLITATIS MATRIMONII
Sent. 67/02

SENTENTIA DEFINITIVA

1. – **Adumbratio casus.** – Partes in causa, nempe M., anno 1968 nata, catholica, et V., anno 1968 ortus, baptizatus, sese cognoverunt a. 1982 uti partem habentes eiusdem coetus. Illa iuvenilis omnino amicitia paulatim facta est amorosa, etsi alternis vicibus procedebat. Post aliquos annos partes etiam ad intimitates, communi consilio, descenderunt, qua re mulier inopinata se gravidam invenit. His in adiunctis capta est ex impulsu eiusdem mulieris decisio matrimonium contrahendi, quod revera celebratum est die 5 septembris 1987 intra fines C1, olim, archidioeceseos, haud obstante defectu praxis religiosae ex parte viri qui solummodo in proximitate nuptiarum accessit ad primam Communionem.

Die 7 februarii 1988 enatus est filius partium. Attamen saltem post nativitatem filii manifestae fuerunt difficultates in vita communi partium, causa iurgium et dissensionum. Quae graviore adhuc evenerunt cum vir in servitium militare obligatorium vocatus est et gravia sorta sunt in muliere dubia circa viri fidelitatem. Praetermissis brevibus interruptionibus, mulier posuit finem vitae communis et divortium expetivit, concessum revera die 1 decembris 1989 a Tribunali Status.

2. – Libertatis suae coram Ecclesia recuperandi causa et sanandi suum novum matrimonium, civiliter solummodo initum, mulier exhibuit Tribunali Metropolitano T1 libellum causae introductorium diei 15 iunii 1991, in quo ample descripsit historiam sui matrimonii, sed non indicavit

nullitatis caput. Constituto Tribunali et admissio libello, Praeses Tribunalis collegialis statuit agendum esse de matrimonii nullitate ob defectum consensus «da parte del marito e della moglie ai sensi del can. 1101 § 2».

Instructio causae peracta est per vadimonium Actricis et depositiones iudiciales quattuor testium. Inter documenta in tabulas processuales recepta mentionem meret sententia divortii motivis ornata. Conventus autem, etsi pluries citatus, renuit se sistere ad deponendum, itaque absens a iudicio declaratus est in prima instantia.

Peractis peragendis, aditum Tribunal emisit die 1 decembris 1998 sententiam pro vinculo. Actrix tamen manus haud cessit et interposuit appellationem ad Rotam Romanam.

Constituto Tribunali, hac in altera instantia his in verbis statutum est iudicii obiectum: «An constet de matrimonii nullitate, in casu, ob defectum consensus ex utraque parte».

Concesso Actrici gratuito patrocinio et assignato ab Exc.mo Decano Patrono ex officio, acquisitae non sunt novae probationes. Commutatis ergo scripturis defensionalibus inter Patronum mulieris actricis et vinculi Defensorem, atque Collegio iudicanti interea reformato, Nobis est hodie respondere ad dubium modo statutum.

3. – **In iure.** – Genericis, necesse, terminis exponenda sunt principia iuris in casu applicanda, viso eodemque generico iudicii obiecto. Tribunali appellationis licet pressius determinare indeterminatum vel vagum iudicii obiectum, at hac in causa magis opportuna videtur via a Ponente in decreto concordationis dubii secuta, nempe receptio ad normam can. 1639, § 1, formulae dubii a Tribunali primi iudicii gradus stabilitae, quia nimis grave esset periculum determinationis arbitrariae. Necesse ergo procedere debemus contra tenorem art. 62, § 1 NRRT, statuentis: «In causis nullitatis matrimonii formula dubii est: *An constet de matrimonii nullitate in casu*, additis capite vel capitibus». Ad mentem legis communis «in gradu appellationis [...] litis contestatio in eo tantum versari potest, ut prior sententia vel confirmetur vel reformetur sive ex toto sive ex parte» (can. 1639, § 1). In Rota, vero, Romana formula «Utrum confirmanda an infirmanda sit sententia...» adhibetur solummodo in casu appellationis ad Turnum superiorem a sententia rotali (cf. art. 62, § 2 NRRT).

Receptio formulae dubii stabilitae hac in causa in primo iudicii gradu est legitima, sed non eximit Nos ab adnotatione valde amplum esse agrum

defectus consensus, etsi ad mentem can. 1101, § 2 a Tribunali primi gradus intellectum. «Defectus consensus» haberi nequit uti legitimum nullitatis caput (cf. can. 1677, § 3), quia, si intelligatur non uti categoria nullitatis sed uti verum et proprium nullitatis caput, tale caput est nimis genericum (cf. coram Canals, sent. diei 15 iunii 1966, RRDec., vol. LVIII, p. 415, n. 2) vel omnino non correctum (cf. coram Pinto, sent. diei 28 iunii 1971, *ibid.*, vol. LXIII, p. 590, n. 5).

Quidquid tamen est, procedere debemus ad principia iuris substantivi indicanda.

4. – Defectus consensus, intentus in campo forensi sub luce can. 1101, § 2, comprehendere potest sive totalem defectum voluntatis consensualis sive exclusionem matrimonii ipsius vel essentialis matrimonii elementi vel essentialis matrimonii proprietatis.

Prima figura, nempe totalis defectus voluntatis consensualis, non subintelligitur, revera, in can. 1101, § 2, et generatim aegre in praxi iudiciali admittitur, quia in praesentia matrimonii de facto celebrati ex se patet ratio et vis praesumptionis in can. 1101, § 1 statutae: «Internus animi consensus praesumitur conformis verbis vel signis in celebrando matrimonio adhibitis». At non effugit quod effectus iuridici proprii consensus oriuntur non ex mera matrimonii celebratione, sed solummodo ex consensu partium inter personas habiles legitime manifestato (can. 1057, § 1), qui consensus est «actus voluntatis, quo vir et mulier foedere irrevocabili sese mutuo tradunt et accipiunt ad constituendum matrimonium» (can. 1057, § 2). In hodierna praxi forensi canonica totalis defectus voluntatis recensendus est sub capite simulationis totalis. Tali in casu agitur de peculiari figura simulationis totalis, in qua datur radicalis dissimulatio defectus voluntatis consensualis. Aliis verbis, agitur de simulatione voluntatis, distinguenda ab aliis figuris simulationis totalis constantibus ex voluntate simulandi (cf. A. Stankiewicz, *De iurisprudencia rotali recentiore circa simulationem totalem et partialem*, in *Monitor ecclesiasticus* 122 [1997], pp. 210-211). Evidenter solummodo *voluntas simulandi* efficaciter perfici potest per actum positivum voluntatis, non ita est autem in casu *simulationis voluntatis*, ubi non datur locus requisito positivi voluntatis actus, de quo in can. 1101, § 2.

Secunda figura, nempe classice intellecta exclusio matrimonii ipsius (cf. «voluntatem simulandi», de qua supra), nullam secumfert difficultatem sub specie iuris. Tali in casu contrahens, etsi externe proferat verba consen-

sus, non obtinet effectum proprium quia deest omnino obiectum formale voluntatis consensualis. At agi debet de vera et propria exclusione ipsius matrimonii, non de quibusdam ideis matrimonio contrariis, de velleitate, vel de aliis adhuc statibus psychicis incongruae integrationis sphaerae intellectivae, volitivae, ac potissimum emotivae in actu celebrationis matrimonii. Inde requisitum positivi voluntatis actus, quod primo ictu oculi pleonasticum apparet, est magnae revera utilitatis si recte intelligatur.

Tertia figura, nempe exclusio alicuius elementi essentialis matrimonii, sub aspectu practico reduci potest ad exclusionem finium essentialium matrimonii (cf. can. 1055, § 1), id est ad capita exclusionis boni coniugum et boni prolis, de quibus pernota sunt iuris et iurisprudentiae principia, specie quod attinet ad exclusionem boni prolis.

Quarta figura modo intellecti defectus consensus, nempe exclusio alicuius proprietatis essentialis matrimonii, secumfert – sub luce can. 1056 – capita exclusionis boni fidei et sacramenti seu indissolubilitatis matrimonii, augustiniana memoriae, ideoque omnibus pernota. His tamen addi debet etiam exclusio dignitatis sacramentalis matrimonii, etsi character sacramentalis non constituit, ex se, essentialem matrimonii proprietatem, quia hunc valorem habet solummodo matrimonium inter baptizatos celebratum (cf. can. 1055, § 2). At etiam hoc in postremo casu nullitas scaturit solummodo in casu verae et propriae voluntatis excludentis sacramentalem dignitatem, quidquid est de capite adhibito: de simulatione totali vel partiali (nempe de exclusa dignitate sacramentali).

5. – In omnibus praefatis figuris vel potius capitibus nullitatis eadem sunt media probationis, in doctrina et iurisprudentia pernota (inter quas eminent partium et testium fide dignorum declarationes), atque non differt schema probatorium (sic dicta confessio iudicialis et extraiudicialis; causa simulandi remota et proxima, praevalens super causa contrahendi; circumstantiae confirmantes). Si unum vel aliud deficit, probatio non fit eo ipso impossibilis, sed difficilior adhuc evadit. In quocumque tamen casu, ad pronuntiationem sententiae declarantis matrimonii nullitatem deficere nequit certitudo moralis in animo iudicum.

6. – **In facto.** – In casu prae manibus omnino inutilis fuisset cribratio probationum sub luce distinctorum capitum nullitatis et quidem separatim ex una vel altera parte. De pluribus ne umbra quidem invenitur in actis. Iam

perampla determinatio obiecti iudicii, a Tribunali primi gradus adhibita, est signum difficultatis constabiliendi quodnam sit exacte caput nullitatis. Si ergo Tribunal primi gradus, fere uti piscator, ita amplam iecit retiam, videamus quid sit collectum.

Incipiamus a capitibus relatis ad Actricem sub luce tabularum processualium confectarum ante emissionem sententiae primi iudicii gradus.

7. – Si praetermittamus quasdam divergentias minoris momenti, Actrix eadem declaravit in libello causae introductorio ac in depositione iudiciali. Admittit suum amorem erga Conventum (quidquid est de effectiva natura huius sentimentis ante nuptias et tempore nuptiarum in Actrice), dein patefecit suum errorem descendendi ad intimitates per quas evasit gravida, praesertim quod illo tempore iuvenes non sunt adhuc locuti de matrimonio celebrando. His in adiunctis, uti fatetur Actrix in libello causae introductorio, «per amore del figlio e dei genitori, non per amore di me stessa, cominciai ad insistere sulla celebrazione delle nozze [...] con il rito ecclesiastico pure».

Haec voluntas ipsius Actricis matrimonium contrahendi est univoca. Immo, eadem mulier memorat praecedentem oppositionem suorum parentum adversus relationem Actricis cum viro convento (hoc confirmat saltem mater in sua depositione iudiciali) atque monitum matris in proximitate nuptiarum.

Abnormae fuerunt evidenter circumstantiae in quibus mulier devenit ad decisionem de celebrando matrimonio, sed una ex parte videtur illa hoc fecisse ratione sensus responsabilitatis, alia ex parte nullum datur indicium alicuius anomaliae ordinis psychici (praeter genericam, forsan, immaturitatem ratione aetatis) uti poni possit rationabilis hypothesis defectus libertatis internae, quod praeterea, manet extra ambitum obiecti iudicii hac in causa.

Actrix retulit insuper quod «durante il giuramento avevo i rimorsi di coscienza di spergiurare e nello spirito anticipatamente chiedevo a Dio affinché mi perdonasse se le cose poi non si sarebbero svolte così come lo stavo giurando». Non intelligitur tamen cur «rimorsi di coscienza di spergiurare» et in omni casu ex declarationibus ipsius Actricis non patet defectus voluntatis consensualis, vel exclusio alicuius elementi vel proprietatis essentialis.

8. – Aliter omnino sonant affirmationes Actricis factae in actu appellationis, in quo etiam ample exposuit motiva suae dissensionis cum senten-

tia primi iudicii gradus pro vinculo lata. Ante omnia Actrix sublineat defectum libertatis (internae, evidenter): «sapevo che non avrei contratto il matrimonio volontariamente bensì perché mi trovai al centro delle circostanze che mi avrebbero costretta». Sed immediate postea addidit: «In ogni caso io aspettavo un bambino da lui. Io non volevo che questo crescesse senza un padre e contemporaneamente non volevo fare del male al suo padre. E così ho preferito di fare del male a me stessa». Immo, oblivisci nequit quod apud Iudicem mulier variis modis patefecit suam, olim, voluntatem solvendi illam infelicem situationem per matrimonii celebrationem. Quaestio respicit ergo incongruas rationes matrimonium contrahendi, non ipsam voluntatem consensualem vel eius obiectum formale.

Dein pluries sistit Actrix in sua simulatione consensus: «ancora prima della celebrazione delle nozze in chiesa [ho] saputo che avrei soltanto simulato il consenso fatto davanti a Dio»; «io simulavo il mio giuramento e fin dall'inizio non lo prendevo sul serio e nel mio intimo questo matrimonio non è mai stato costituito»; et ita porro. In quo tamen consisteret hoc periculum?

Responsum non patet clarum.

In primis ubi dixit: «Pur essendo stata istruita dal sacerdote della indissolubilità del matrimonio, non prevedevo sul serio e nemmeno ho tenuto in considerazione le sue conseguenze». Sed neque requiritur, ad validam matrimonii celebrationem, ut contrahens explicite assumat obiectum boni sacramenti; quod attinet ad perpetuitatem vinculi sufficit ut habeat scientiam minimam de matrimonio seu noscat matrimonium esse consortium permanens (can. 1096); alia autem pertinent ad ambitum discretionis iudicii.

Dein, defectus serietatis in consensu clarius forsitan patet in contextu qui sequitur: «per il suo [matrimonii] nascere infatti mancava la mia libera volontà, il mio amore, il mio “vero” sì». Praesertim hoc ultimum, «il mio “vero” sì» explicare videtur mentem Actricis: illa percipit, praesertim hodie, incongruentiam inter iuramentum nuptiale et, ut ita dicamus, «realitatem» sui matrimonii, longe distantem a matrimonio ideali et expectationibus ipsius mulieris actricis. Sed haec omnia minime tangunt effectus iuridicos eius consensus.

Ergo etiam sub luce postremae declarationis in scriptis factae nec adumbratur defectus consensus ex parte mulieris actricis, ergo necesse non est ut perscrutentur testium depositiones.

9. – Quod attinet ad possibilem defectum consensus ex parte viri conventi, mulier sistit ante omnia in defectu religiositatis viri et in aperta Ecclesiae recusatione. Etiam ipsam praeparationem ad nuptias et ad primam Communionem mulier describit uti instrumentalem vel omnino simulatam. Quae omnia, forsan, sunt omnino vera, quia etiam a testibus firmata. Quaestio est tamen alia: daturne in hoc contextu aliquod fundatum nullitatis caput?

Ante omnia excludi debet, ex ipsis verbis Actricis, omnimodus defectus voluntatis consensualis. Coram Iudice admisit mulier actrix: «In sostanza non vedevamo l'ora di cominciare a vivere insieme» etsi «vi sono stati anche dei timori». Conventus «non ha chiesto il differimento della celebrazione». Et pressius relate ad celebrationem religiosam: «Nel primo momento egli non voleva la celebrazione delle nozze in chiesa, ma quando io gli dissi che non lo avrei sposato, se non avessi celebrato le nozze in chiesa, subito dopo egli è accondisceso». Immo, miro modo dicit Actrix de eadem celebratione ecclesiastica: «ho insistito moltissimo, lo costringevo, addirittura lo ricattavo dicendo che non lo avrei sposato». Ergo ex his indubie patet interesse viri ad matrimonium contrahendum, etsi alio loco Actrix suspicatur rationem potius venialem talis voluntatis contrahendi ex parte viri.

De ipsa celebratione religiosa Actrix refert: «Marco non sapeva nemmeno ciò che il rev.do parroco stava dicendo, guardava a bocca aperta le pareti. Durante la celebrazione delle nozze egli ripeteva meccanicamente le parole dopo il sacerdote perché egli era uno non credente».

Sed haec omnia non sufficiunt, evidenter, ad sustinendum aliquod praecisum nullitatis caput. Causam solummodo offerunt remotam possibilis simulationis (sed nescitur qualis), *at a posse ad esse non valet illatio*, uti docemur a noto ephato. Ipse Conventus in iudicio non deposuit, nec constat de aliqua eius confessione extraiudiciali, ergo deficiunt hac in re omnino probationes.

10. – Alia etiam argumenta adduxit navus vinculi Defensor adversus thesim Actricis, analytice examini subiiciendo singulas depositiones, quod tamen non mutat substantiam argumentorum superius relatorum.

Patronus ex officio mulieris actricis praeter simulationem consensus (sed qualem?) ex parte Actricis affirmat quod «magis et evidenter constat de simulatione totali ex parte conventi». Ita hoc assumptum comprobare attemptat: «modus agendi Conventi in canonico processu est irresponsabilis

et denotat vacuitatem eiusdem circa assumptionem obligationum matrimonii [...]. Conventum contraxisse matrimonium religiosum tantum pro forma, respuens substantiam et obligationes essentielles matrimonii». Sed ample discussa a Patrono immaturitas vel defectus responsabilitatis ex parte Conventi non secumferunt necessario simulationem totalem vel aliquam simulationem partialem. Idem dici potest de s.d. celebratione «pro forma»: ea ipsa non excludit existentiam sufficientis voluntatis consensualis. Asseverationes optimi Patroni assumi possunt solummodo uti argumenta in favorem possibilis nullitatis, non autem uti probationes sufficientes, specie si alia elementa contrariae prosunt solutioni, uti declaratio ipsius Actricis quod «siamo vissuti tranquillamente e felicemente dai tre ai quattro mesi dopo la celebrazione delle nozze».

11. – Quibus omnibus in iure et in facto rite perpensis proposito dubio Nos infrascripti DD. Auditores de Turno pro Tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, Christi Nomine invocato, declaramus, decernimus ac definitive sententiamus: *Negative, seu non constare de matrimonii nullitate, in casu, ob defectum consensus ex utraque parte.*

Ita pronuntiamus, mandantes Ordinariis locorum et Tribunalium Administris, ad quos spectat, ut hanc nostram definitivam sententiam notificent omnibus quorum intersit, ad omnes iuris effectus.

Romae, in sede Rotae Romanae Tribunalis, die 14 iunii 2002.

Gregorius Erlebach, Ponens
Americus Ciani
Iosephus Sciacca